Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1191
Quelle:
Copyright:

li vel boni, illo *mali culpe*, *mali pene et mali temporis* &c. omnes has Distinctiones e Textibus biblicis eruendo. In C. XLI. abrumpitur, et ex adjecto Indice adparet, vix Operis dimidium hoc Codice contineri. Autor ejus non proditur.

DIV.

U. 449 Codex membraneus lat. Sec. XIV. ineuntis Folior. 177. f. per duas columnas minute perscriptus, emtus, ut Theca anterior testatum facit, a. 1432. et cum XVII. aliis donatus *ad Librariam Collegij Ducalis* a M. *Andrea de Weyttra* est alterum supra dicti *Commentarii* Exemplar, et quidem plenius; orditur enim, ut in Editis: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam* &c. et ad calcem addit: *Explicit liber tercius fratris bonauenture super sentencijs. Omnis laus in fine canitur.*

II. *fol.* 118. sequitur ἀνεπιγραφως Ejusdem *Commentarius in Librum IV. Sententiarum.* Initium est: *Unguentarius faciet pigmenta suauitatis* &c. Ut Edit. *Lugdun.* suprac. T. V. Sistit tamen in *Distinctione* XXII. unde paullo recentiore calamo adjectum: *Sequitur distinctio 23ª que incipit Preter premissa est etiam aliud sacramentum* &c.

DV.

U. 448 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 421. f. per duas columnas nitide exaratus et rubro distinctus aliud est Exemplar Ejusdem *in Librum IV. Sententiarum* absque omni inscriptione incipiens: *Unguentarius faciet* &c. ut superius, sed integrum. Ad calcem legas: *Explicit quartus bone uenture. Deo gratias. Anno domini &c.* (14)42. *Jar.*

Adscriptus est Sermo in illud *Marc.* ult. *Ecce locus vbi posuerunt eum*, qui incipit: *Verbum est angeli admonentis sanctas mulieres que uenerunt ad sepulcrum* &c. et urget, ut earum exemplo *dominum ploremus vngamus et cum eo sepeliamur*, verum posteriore parte situ corruptus est.

DVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 160. f. per duas columnas charactere difficili, ut sunt fere omnes Libri scholastici hujus aevi, ob nimia vocum compendia perscriptus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Hec sunt questiones super tercium librum sententiarum bonauenture empte a Domino Vlrico de hospitali ad librariam Collegij Ducalis Wyenne pro 12 solidis et 20 denarijs solutis de pecunia Erhardi Bedelli cuius anima requiescat in pace Christi.* Expositio porro Doctoris *Serapbici* sic init: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam* &c. ut Edit. *Lugd.* 1668. *Opp.* T. V. p. 1. Sed abest a Codice post *Prooemium* Textus *Lombardi*; a verbis enim: *et imitatores* U. 414

cre-